

XII.

FRAMMENTO DI STATUTO DEL PRINCIPIO DEL SECOLO XV.¹

.....

[De massario collegij – Rubrica J.]

.....

[485] prior et consiliarij teneantur dare auxilium et favorem dicto Massario; et quicumque alius de dicto collegio etiam teneatur, qui per ipsum fuerit requisitus, sub pena cuilibet contrafacienti librarum x. bon., et nichilominus teneatur denunciari domino potestati dictos condempnatos et obligatos collegio, qui solvere faciat dictas penas et obligationes, quarum medietas aplicetur comuni bononia, altera vero nostro collegio.

Quod nulus doctor de collegio permitat aliquem alium de dicto collegio expelli ab aliqua cura – Rubrica [I].]

Item ad evictandum vulgi infamiam, et ut magistri sibi invicem honorem exhibeant, ordinamus quod si contingat aliquem vel aliquos magistrorum vocari ad aliquem infirmum, ad cuius curam primo fuerit alter vel alij, quod priores vel supervenientes non permittant aliquos expelli a dicta cura, nisi primo illis condigne fuerit satisfactum ad arbitrium prioris et consiliariorum, sub pena x librarum cuilibet contrafacienti, aplicanda nostro collegio, et nichilominus teneatur satisfacere illi, vel illis, qui fuerint expulsi arbitrio ut supra.

Quod nullus doctor audeat vixitare infirmum aliquem qui teneatur alicui de collegio – [Rubrica II].]

Item ad evictandas vulgarium ingrattudines, qui memorari nolunt servitiorum medicorum, ordinamus quod si quis medicorum nostri collegij medicaverit aliquem de quo [486] sibi non fuerit satisfactum, et contingat ipsum in posterum egrotare vel aliquem de domo eius de quo dictus medicus coram priore conqueri voluerit, quod nulus medicorum nostri collegij audeat tales vixitare nec illis consulere, facto sibi precepto a priore, nisi primo sibi integre fuerit satisfactum; de cuius salario, si expediat, sit prior iudex, sub pena et banno cuilibet contrafacienti x librarum bon., exigenda ut supra. Et si contingeret quod ad talem infirmum vadat alius medicus, qui non sit de nostro collegio, quod sibi debeat fieri rogamen, vel preceptum, quod non vadat, ex parte prioris et totius collegij, si expediret; quod si precibus vel precepto inhobediens fuerit, quod dictus talis magister debeat primo condempnari in x libris bon., et nichilominus satisfacere debeat predicto medico, arbitrio ut supra. Et quod nullus medicorum nostri collegij debeat cum tali privato medicare nec ipsum pati in socium in aliqua cura, donec venerit ad mandata prioris nostri collegij, et hoc pena et banno centum soldorum bon., aplicanda nostro collegio et exigenda per massarium, ut supra.

¹ C. Malagola, *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese*, Zanichelli, Bologna 1888, ristampa Torino 1966, pp. 485-493.

Quod nullus possit admitti ad collegium nisi sit publice doctoratus – [Rubrica III.]

Ordinamus etiam quod de cetero nulus doctor possit admitti in aliquo collegio medicorum, seu artistarum, sive bononiensis, sive parisiensis, paduanus, aut peruxinus vel alterius cuiuscunque conditionis existat, nisi fuerit licentiatus publice et private, et de hoc constet maiori parti collegij et solverit etiam bidelis omnibus nostre universitatis ut moris est.

Quod nullus doctor forensis possit aliquod habere officium in nostro collegio – [Rubrica V.]

Item etiam, ut honor totius studij bononie physice facultatis et civitatis eiusdem conservetur et maneat in dicta civitate et studio, statuimus et ordinamus quod de cetero nulus, nisi bononiensis doctor, possit admitti quomodolibet ad collegium, seu ad membrum collegij doctorum physice facultatis, nec aliquod officium habere in dicto collegio, nec aliquem prexentare scolarem promovendum, nec admitti ad aliquod scrutinium sive partitum in nostro collegio fiendum, nec eligi ad aliquam sedem ordinariam de mane salariatam vel non salariatam, sub pena cuilibet contrafacienti centum librarum bon., exigenda per dictum potestatem, vel eius vicarium, cuius medietas aplicetur comuni bononie et alia medietas nostro collegio.

De modo et forma tenenda in promovendo scolares in aliqua facultate, et quanto tempore debeant audivisse et studuisse dicti scolares in facultate illa in qua illi talles voluerint promoveri – Rubrica [VJ.]

Item quod quicumque magistrorum nostri collegij deinceps voluerit aliquem scolarem promovere ad magisterij dignitatem, non possit nec debeat, nisi primo scholaris audiverit [487] in quacunque facultate, in qua voluerit promoveri, ad minus v. annis, et substinuerit in scolis publicis tre questiones aut duas, et unum quo[d]libet, et legerit extraordinarie aliquem librum, seu tractatum, in arte sua. Et si fuerit scholaris in medicina et fuerit in primitivis scientijs magistratus, studuisse debeat tribus annis ad minus in ipsa scientia medicine, et quod quilibet magistrorum scolarem promovendum primo representet priori, et tunc prior, facta prius diligenti investigatione de scientia ipsius, vita, moribus, et honestate persone, data licentia magistro suo, per priorem presentetur domino Archidiacono, vel eius vicario. Et si aliquis magistrorum contra predicta vel aliquod predictorum fecerit, condampnetur arbitrio prioris et consiliariorum, vel maioris partis ipsorum, et a nostro collegio sit penitus exclusus, et non possit restitui, nisi de voluntate totius ac maioris partis collegij, scrutinio celebrato cum fabis albis et nigris, facta prius satisfatione condigna, reservato semper arbitrio prioris in tempore supradicto studendi et modo et forma superius data, facta per ipsos diligenti investigatione, ut eis videbitur expedire, quia quandoque ingenium, vita, mores et honestas persone suplet defectum temporis superius pretassati et aliorum, que superius dicta sunt, de modo et forma studendi et substinendi questiones et legendi librum vel tractatum.

De salario doctorum pro publica et privata ab eis qui promoventur in aliqua facultate – [Rubrica VIJ].

Item ad hoc ut Magistri melius veniant ad examinationes publicas vel privatas, et ut scolares in eisdem examinationibus publicis, vel privatis, melius honorentur, statuimus et ordinamus quod quilibet magistrorum nostri collegij, qui de cetero aliquem suum scolarem voluerit promovere, teneatur et debeat facere satisfieri cuilibet magistrorum nostri collegij, qui presens fuerit, pro examinatione privata soldos

xij. bon. et pro publica xvij. soldos bon. in medicina. In artibus vero servetur modus consuetus in virtute prestiti iuramenti, et pena privationis collegij videlicet illi qui presentaverit, vel examinari fecerit scolarem suum cuiuscunque fuerit facultatis, et non possit restitui, nisi prius solverit de propria sua pecunia salarium superius ordinatum et tantumdem collegio magistrorum, masario consignanda.

Quod nullus doctor nostri collegij audeat sociare promovendum in privata in eundo et rede[un]do ad sanctum petrum – [Rubrica VII].

Item ad obviandum expensis que fiunt per scolares in privatis examinationibus, et ad obviandum malis consuetudinibus, statuimus et ordinamus quod magistrorum nostri collegij nulus de cetero audeat, vel presumat, asociare aliquem scolarem in eundo et redeundo ab examinatione privata, nec ad publicam, cum hoc sit contra honorem totius collegij magistrorum et sit dampnosum scolari propter expensas quas debet facere occasione predicta, et quod magistri non possint de hoc petere licentiam a domino priore sub pena xx soldorum bon., exigenda ut superius dictum est, et nisi fuerit nepos, vel filius, vel frater alicuius magistrorum de collegio, salvo quod liceat doctori suo sociare eundem.

De modo et forma dandi poncta promovendis in medicina et in artibus – Rubrica [VIII].

[488] Item statuimus et ordinamus quod si voluerit aliquis promoveri in medicina, primo convocato collegio medicorum per bidellum, generalem de mandato prioris, debeat de mane recipere poncta in sancto petro a domino Archidiacono vel eius vicario, et a priore nostri collegij in libro tegni pro prima lectione, et in libro anforismorum pro 2.^a lectione, presentibus omnibus doctoribus de collegio, aut duabus partibus doctorum dicti collegij, ut moris est. In vesperis vero decretorum veniat ad examen ad locum deputatum in sancto petro. Et primo legere debeat lectionem libri tegni G[aleni] bene et ponctate, dividendo, versificando et exponendo testum. Et similiter de 2.^a lectione anforismorum y[pocratis], legendo, dividendo, versificando et exponendo anforismum totum, comentum autem solum dividendo et versificando. Lectis vero lectionibus, arguant doctores serioxe et ordinate, incipiendo a iuniori usque ad ultimum seniore, excepto doctore vel doctoribus, sub quo, vel sub quibus, promovetur, et hoc super prima lectione; supra 2.^a vero lectione possint arguere doctores qui voluerint, sed solus prior, aut antiquior de collegio teneatur arguere. Quibus peractis, absente scolari, scribant doctores intentionem suam secrete sub sacramento suo, et ilam porigant domino Archidiacono, vel eius vicario qui mature deliberet secundum debitum rationis.

Item quod qui promoveri voluerit in phyloxofia, primo convocato collegio, ut supra dictum est de medicina, recipiat poncta in libro physicorum pro prima lectione in libro metaphysice et cetera. Et in vesperis decretorum veniat ad examen, ut dictum est superis, et lectis lectionibus, quilibet doctor de dicto collegio artistarum teneatur arguere in utraque lectione, aut in prima saltem, et prior, vel antiquior de dicto collegio, teneatur arguere in 2.^a et cetera, et idem modus servetur, ut dictum est de medicina. Promovendo vero in loica dentur poncta, ut supra, primo in libro priorum pro prima lectione, et pro secunda lectione in libro posteriorum, et idem servetur modus in examine suo; set promovendus in astrologia, servato ordine dicto, primo recipiat poncta in libro sp[h]ere pro prima lectione et pro 2.^a lectione, in argorismo, et in examine suo idem modus servetur, ut dictum est. Promovendus vero in retorica, primo, servato ordine dato, recipiat poncta pro prima lectione in retorica nova, et pro secunda lectione in retorica veteri tulii, et in examine servetur modus predictus. Promovendus vero in gramatica, servato ordine supradicto, recipiat poncta pro prima lectione in prisiano minori, pro 2.^a lectione in prisiano maiori, et in examine ordo servetur, ut supra. Et quod quilibet doctor utriusque membri collegij teneatur iurare corporaliter ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, domino Archidiacono vel eius vicario aprobare aprobandos, et reprobare reprobandos.

De modo et forma dandi ponti promovendis in omnibus artibus simul – Rubrica [X]

[489] Item quod qui examinari voluerit in artibus omnibus simul, ordine servato supradicti statuti, prima die recipiat pontia pro prima lectione in libro metaphysice et pro 2.^a lectione in mathematicis in libro sp[er]e; in 2.^a vero die pro prima lectione in loyca in libro posteriorum, pro secunda lectione in gramatica in prisiano minori, et tunc omnes doctores teneantur arguere secundum morem consuetum et servare ordinem datum et sic in omnibus artibus cum duobus examinibus dictis et cum solutione de duobus examinibus possit pertransire. Si vero velet promoveri solum in loyca et phyloxofia, teneatur se subicere duobus examinibus ordine dato, et solvere pro duplici examine. Si vero velet promoveri in gramatica et loyca, iterum teneatur se subicere duobus examinibus et solvere pro duobus. Si vero in gramatica et retorica, possit, et non teneatur, se subicere nisi unico examini et solvere pro uno examine; si vero promoveri voluerit in phyloxofia et astrologia iterum non possit compelli nisi ad unicum examen et unicam solutionem. Si vero vellet promoveri in tribus istarum scientiarum, quecunque sint ille, iterum teneatur se subicere duobus examinibus et solvere pro duobus. Si vero velet promoveri in medicina, vel in aliqua, artium teneatur se subicere duobus examinibus et solvere pro duobus. Si vero in medicina et artibus voluerit alias promoveri, teneatur facere tres examinationes et solvere pro tribus examinibus. Et eodem modo dicimus, si aliquis voluerit promoveri in medicina cum aliqua distinctione, pro tunc fiant due examinationes et solvantur pro duobus. Et que diximus de privatis, idem dicimus de publicis fiendis modo et forma predictis.

Quod promovendi in aliqua facultate teneantur promoveri sub doctore suo – Rubrica [XJ].

Item quod nullus scholaris promovendus in aliqua facultate possit promoveri sub aliquo doctore nostri collegij, si dimixerit doctorum suum, sub quo ultimo fuerit scholaris de mane sex mensibus in medici[na et iij (?)] mensibus [tantum] propter rhetoricam [et propter] philoxof[iam et] alias m[inores que] leguntur de s[er]o...] sint propter [...], doctore suo [ir]requisito et volente ipsum promovere; et quod nullus doctor alius ipsum debeat nostro collegio prexentare, sub pena cuilibet contrafacienti quinque librarum bon. Et quod nullus doctor prefati collegij audeat interesse dicte promotioni, sub pena x librarum bon.

Quod promovendi non possint promoveri nisi sub duobus doctoribus – Rubrica XIJ

Ordinamus etiam quod nullus scholaris promovendus possit promoveri in aliqua facultate, nisi sub duobus doctoribus ad plus propter illis evictare expensas, salvo quod si fuerit honorabilis persona qui voluerit plures habere doctores, quod tunc, et eo casu, teneatur dare vestes pro induto, guarnachia, mantelo et caputeo operati et boni panni omnibus illis doctoribus, si acceperit doctores ultra numerum pretassatum; et de hoc teneatur satisdare priori nostri collegij, et aliter non admittatur. Et quod nullus doctor audeat interesse sue promotioni, nec prior collegium convocare, sub pena priori x. librarum bon., et cuilibet magistrorum v. librarum bon.

De salario doctorum sub quibus scholares promoventur – Rubrica [XIIJ].

[490] Item quod quilibet scholaris promovendus in aliqua facultate teneatur dare et solvere doctori suo vj. libras bon., et si duos doctores acceperit, xij., videlicet vj. pro quolibet; si vero plures acceperit servetur

forma supradicti statuti. Et si promoveri voluerit in duabus scientijs aut pluribus, teneatur cuilibet de duobus dare libras xij. bon. Si vero plures acceperit duobus, teneatur dare vestes omnibus illis, ut supra.

De matriculla et ordine servando in illis qui exercere voluerint practicam cirugie et quanto tempore debeant audivisse et studuisse – [Rubrica XIII]].

Item statuimus et ordinamus et inviolabiliter servari iubemus, ut tollantur scandala et graviora pericula, que actenus sunt secuta et cotidie de novo emergere videmus, quod nulus civis, vel forensis, vel cuiuscunque alterius conditionis vel status existat, audeat vel presumat exercere, vel operari, practicam cirugie in civitate bononie, comitatu, eiusque districtu, nisi studuerit et audiverit iiii^{er} annis sub magistro salariato in sede cirugie, vel legente in scolis publice cirugiam in civitate bononie, vel alibi, ubi publicum vigeat studium, de quo plenam habeat informationem prior nostri colegij per priorem aut colegium civitatis famoxe in qua studuerit, et nixi fuerit examinatus et aprobatu per doctores colegij physice facultatis civitatis bononie, sub pena cuilibet contrafacienti librarum L. bon., exigenda per dominum potestatem; cuius medietas aplicetur comuni bononie et alia medietas dicto colegio. Et quilibet possit acurare publice et private et habeat de dicta pena libras x.

De modo et forma tenenda in dando poncta in examine cirugicorum – Rubrica [XV].

Insuper statuimus et ordinamus ut in examinibus cirugicorum modus limitetur et ordo, quod ille, qui examinari debet in cirugia, primo recipiat poncta de mane a priore et doctoribus colegij physice facultatis tantum, et pro secunda lectione super prima parte ciruxie Brunj, a[c] super tercia parte [quarti] canonis avicenne; et quod in vesperis decretorum veniat ad examen, in quo examine intersint omnes doctores nostri colegij. Et primo debeat legere bene et ponctate testum unius bone lectionis, postea dividere, versificare et sentenciare dictum testum. Et similiter de 2.^a lectione; et quod quilibet doctor teneatur arguere uno argumento tantum et unica replicatione in prima lectione. Supra 2.^a vero lectione eodem modo fiat.

Sub quot doctoribus possint cirugi[ci] promoverj – [Rubrica XVJ]

Item quod promovendi ad matriculam cirugicorum debeant promoveri per unum aut duos doctores ad plus, quos voluerint, de dicto colegio quibus in nullo teneantur plusquam alijs doctoribus, nisi in bireto et cirotecis tantum.

De salario doctorum in examinationibus cirugicorum – [Rubrica XVI]].

[491] Item qui promoverj voluerit ad examen cirugicorum teneatur et debeat solvere toti collegio soldos xj; notario etiam soldos x pro quolibet examine et conventu.

De modo et forma privilegij cirugicorum – [Rubrica XVII].]

Ob rem publicam et ut unicuique proficiat labor suus, iuxta vivacem Casiodori sententiam, et ut melius studium vigeat et scolares animentur ad dictum studium et profectum, et ut ceteri ad scientiam et doctrinam promptius et perfectius disponantur, et ut etiam scandala tolantur, que a[c]tenus sunt secuta ex impericia cirugicorum, ideoque cum nutriant premiorum exempla virtutes, prior et colegium

physicorum, mature deliberans, providum et discretum virum atque fidedignum magistrum talem, condam talis de talibus, de tali loco, aprobatum in pratica cirugie quo ad omnem sui partem, in matricula cirugicorum constituunt perfectorum, licentiam, arbitrium et potestatem tribuentes eidem, ut hic et ubique locorum artem cirugie valeat exercere. Ad quorum omnium evidentiam clariorem privilegium presens scribi et publicari mandarunt per bernardum condam guilielmj de lamola infrascriptum notarium.

De moto et ordine servando in ellectione doctorum ad lecturas salariatas de mane – [Rubrica XVIII].

Statuimus et ordinamus ad hoc ut doctores bononie physice facultatis habeant occaxionem in ipsa civitate manendi et cotidie in lecturis perseverandj, et ut ceterj doctores cives extra civitatem exeuntes diligentius et animoxius redeant, et ut in lecturis sit ordo bonorum doctorum, quod per priorem et doctores nostri colegij eligantur duo valentiores et famoxiores ex dictis doctoribus qui sint nativi bononie ratione originis proprie vel paterne, et qui sint doctorati in dicta civitate, ad sedes ordinarias de mane, salariatas per comune Bononie pro qualibet sede, librarum centum bon. Et quod nulus forensis doctor, cuiuscunque conditionis existat, audeat vel presumat legere de mane et ordinarie, vel extraordinarie easdem lectiones concurrentes cum predictis electis in dicta scientia medicine, sub pena cuilibet contrafacienti centum librarum bon., exigenda per dominum Potestatem, vel eius Vicarium. Cuius medietas aplicetur comuni bononie, alia medietas nostro colegio.

Quod nullus audeat vel presumat legere lecturam practice nisi fuerit doctoratus per IIJ annos antea – Rubrica [XX].

Constituimus et ordinamus et pro honore studij totius bononie et pro utilitate scolarium in medicina studentium, et ad utile et bonum publicum, quod nullus doctor [492] physice facultatis civis, vel forensis, audeat vel presumat legere in vesperis praticam medicine nisi fuerit doctoratus in civitate bononie vel alibj in famoxissimo studio et legerit vel praticaverit in dicta scientia per spacium trium annorum ad minus postquam doctoratus fuerit, de quo plenam faciat fidem nostro colegio, sub pena cuilibet contrafacienti librarum L. bon., exigenda per dominum Potestatem vel eius vicarium. Cuius medietas aplicetur comuni bononie et alia medietas nostro colegio.

Quod omnes lecture ordinarie vel extraordinarie de nostro colegio debeant contrjubj per doctores dicti colegij – Rubrica [XX].]

Statuimus et ordinamus quod omnes lecture ordinarie vel extraordinarie in medicina et artibus, salariate per comune bononie, debeant per doctores colegij phixice facultatis contrjubj, doctoribus bonis et sufficientibus, qui iurabunt corporaliter ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, priori prefati colegij, eligere in dictis lecturis doctores meliores ydompniores et magis perfectos pro scolaribus et pro honore studij bononie, servata tamen prius forma statutorum comunis Bononie.

Quod nulus audeat vel presumat tenere, dare vel vendere medicinas aliquas malas vel venenoxas sub pena capitis – Rubrica [XXI].]

Item quod nulus cuiuscunque facultatis existat, audeat vel presumat tradere, vendere vel administrare, q[uoquo]modo aliquam medicinam simplicem vel compositam solutam, alteratam, digestivam, laxativam,

in omni genere laxandi, opiatam, vel soniferam, causticam [vel coroxivam, stupefativam aut venenoxam in omni genere venenorum, abor]tivam, necativam, vel quomolibet aliter pernicioxam, nisi de voluntate et consensu doctorum prefati colegij, vel alterius eorum, aut masarij, vel unius de corectoribus societatis apotecariorum sub pena cuilibet contrafacienti centum florenorum auri, exigenda per dominum potestatem vel eius vicarium, cuius medietas aplicetur comuni bononie et alia medietas nostro colegio. Et nichilominus dantes, tribuentes, vel vendentes contra predicta, teneantur eadem pena qua teneretur ille, qui eo uteretur ad perniciem alterius. Et quod quilibet possit acuxare publice et private et habeat florenos x. de dicta pena.

Quod bidelus non audeat invitare aliquem doctorem ad publicam vel privatam nisi satisfactum fuerit primo priorj pro doctoribus – Rubrica [XXII].

Item quod bidelus nostri colegij non audeat invitare aliquem doctorem de dicto colegio ad publicam vel privatam alicuius promovendi in aliqua facultate, nisi prior vel Masarius nostri colegij prius habuerit pecuniam vel salarium magistrorum pro privata vel publica. Item quod bidelus in convocatione doctorum ad publicam teneatur descendere de equo, et facere descendere de equo scolarem vel scolares publicandos et eum vel eos conducere ad locum in quo fuerit doctor, quem convocat, sub pena pro qualibet vice soldorum v., et quilibet possit ipsum acuxare.

De officio bidelorum et notarij nostri collegij – Rubrica [XXIII].

[493] Item quod sint tres bidelj, de quibus duo sint generales et alter qui sit bidelus nostri colegij, una cum notario eiusdem, qui bidelus et notarius teneantur sociare dominum priorem nostrum ad sanctum Petrum in publica et ibi stare donec instant doctores; et notarius faciat plenum instrumentum de dicta publica, secundum modum et ordinem consuetum. Generales vero bidelij, unus eorum teneatur esse in sancto Petro in privata vel publica, ad parandum omnia que necessaria sunt scolari et doctoribus. In publica vero parari faciat cathedram doctorandi et sermocinandi et banchas necessarias, et specialiter mondari faciat banchas in quibus sedent magistri. Alter vero veniat cum scolari de domo sua ad sanctum Petrum, antecedendo ipsum et doctores. Et in publica quiescere faciat clamantes et sollicitet tubatores una cum bidellis specialibus. Et iterum societ licentiatum usque ad domum.

Quod quilibet magistrorum vadat ad exequias – [Rubrica XXV.]

Item quod quilibet magistrorum teneatur ire ad exequias cuiuslibet magistrorum de quolibet membro colegij quandocumque per nuncium colegij fuerit requisitus, sub pena ad voluntatem prioris, nisi fuerit iusta causa. Item quod nulus de colegio fixice facultatis audeat vel presumat ire ad exequias extraneorum a parentela sua, sub pena librarum v. bon., nisi prehabita licentia a priore nostri Collegij.

Quod prior faciat iurare doctores omnes – [Rubrica XXVI].

Item quod prior teneatur ex officio suo facere iurare doctores de colegio observare statuta facta et fienda, in principio sui officij, sub pena x soldorum.